



9. D. B. V!
DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA INAUGURALIS
DE

VENÆ SECTIO. NE IN FEBRIBUS ACUTIS,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGENSIS HÆREDE, &c. &c.

JUSSU GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

In Alma Fridericiana,

PRÆSIDE

DN. GEORG. ERNESTO STAHLIO,
MED. D. ET PROF. PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR.
COLL. FACULT. MED. h. t. DECANO GRAVISSIMO,
UBIQVE CELEBERRIMO,

DN. PATRONO ac PROMOTORE SUO ÆTATEM DEVENERANDO

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia
Doctoralia ritè capessendi

D. Maji MDCCIII. Horis ante- & pomeridianis,
IN AUDITORIO MAIORI

Publico Eruditorum examini exponet

JOH. WOLFGANGUS LOGES, Netling. Hildesf.
Præcticus Peinensis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Typis Christiani Henckelii Acad. Typogr.



VENI SECTIO
IN YERIBUS
IACULIS

DE PHILIPPO WILHELMO
IN ANNA RIBERIANA

DR. GEORG DANKSTO STABINO
MAGISTRI PHILIPPO DANKSTO STABINO

JOH. W. MEYERHOFER
PHILIPPO DANKSTO STABINO





7. 7.

PROEMIUM.



DUobus fulcris, tanquam fundamentis, niti debere, Medicinam, Experientia & Ratione, antiquum utique, sicut ipsius rei indoli consonum, est monitum; at vero, ubi illam utramque reperire, & sufficienter firmam atque solidam nancisci sit integrum, absurda videri possit quaestio: Quandoquidem tam locuples est experiendi occasio; Ratio verò omnibus hominibus communis, doctis verò etiam exulta; Sed ita sunt res humanæ, ut certè circa hanc quaestionem definiendam non exiguus labor, & à longis retro temporibus fuerit, & hodieque non maneat solum ac persistat, sed nascatur deum, aut hinc inde insolescat. Experientiam quidem quod attinet, possumus hoc asseverare, quod illa à temporibus antiquissimis, sic satis solerti studio conquisita & consignata sit; Interim de Ratione solida, & materiae substratae, corporeis nempe circumstantiis, quadrante, tantò plus defuit, quo minùs Chymicis & Phy-

A 2

fico-

fico-Mechanicis scientiis imbata cohors Medicorum pervidere poterat, quid in ejusmodi circumstantiis ad conservationem corporis Phyfico-Mechanicè præstandam, non utilitatis magis inſit, quam neceſſitatis. Unde loco rationum, nihil niſi generales illæ nœniæ, de calido innato, humido radicali, de frigido, ſiccò, temperamento ſingularum partium, & tandem de Natura, omnem paginam abſolvebant. De propioribus temporibus odioſum eſt dicere; reſipſa loquitur, quod ſubſidiis optimis, partim neglectis, partim perperam adhibitis, & in primis ratiocinatione, ante, & præter experientiam inſtituta, ubique hæreat aqua: Unde quot capita, tot ſenſus, & ſinguli fere aliam rationem formant, neceſſario vero pauciſſimi rectam, cum veritas non ſit, niſi una. De experientia tanto magis ante oculos eſt, quod illa hodie magis, quàm unquam aliàs, defecerit. Cum enim experimenta Chymica, Anatomica, Mechanica, abſolute atque crudè ad corpus animale transferuntur, non modo neglecto, ſed nequidem affiduis monitis in mentem reducendo reſpectu, qui inter corpus Mechanicum abſolute, & corpus vivum, intercedit: Nata hinc eſt, & obfirmata, tanta ſolidæ Experientiæ inopia, ut non ſolum hiftoriæ atque caſus demum temere fingantur, qui præconceptis illis opinionibus reſpondeant; ſed eo ipſo etiam antiqua veritas circa hiftoriam morborum, nudæ magis experientiæ innixa, contemnatur, quoniam utique hypotheſibus ejusmodi ſuppoſitiſſis minime omnium quadrat. Non eſt, ut juſtò profundius in hoc negotium diffundamur, in quo dies citiùs, quam exemplorum atque rerum

rerum farrago, nos destitueret. Nominabimus unum harum rerum specimen, consideratione utique quam dignissimum, utpote quod non solum usui, sed quam maxime cautioni quoque inserviat, nempe Practicam illam Quaestionem: *An in febris acutis venam secare conveniat?* Quæ res, sicut inter antiquos variè agitata fuit, ita hodierno nostro tempore non minus variis opinionum atque traditionum diffidiis laborat. Ubilibet interim, perplexis decisionum sententiis, ad huc intricatum manet multisque ambiguitatibus impeditum, responsum, quod expressum atque sincerum, esse debebat, cui Practicus, rerum suarum & conscientiæ suæ satagens, securius in-niti, & ipsa Praxi, talium assertionum veritatem experi-ri possit. Cum itaque hæc res digna sit, quæ solerti-ùs examinetur, & aliquid de illa, quod in experientia fundatum, & rectæ rationi consonum sit, constituatur, placuit, hanc ipsam loco thematis Inauguralis no-bis sumere, & quid in illa considerandum atque con-cludendum rationi atque experientiæ conforme videat-ur, disquirere.

Faxit Deus, ut cœptum nostrum & feliciter succe-dat, & utiliter cedat.

THES. I.

Distinctæ sunt quæstiones: *an vena scëllo in febre acuta tolerari queat, licita & innoxia sit? An V. S. febrî con-ducatur, utilitatem aliquam, aut planè insignem, conferat? An, non solum utilis, sed plane necessaria sit? An verò tan-dem, contra hæc omnia, potius periculosa, aut plane noxia esse possit?*

II. Consideranda hic venit porrò dispar ratio *indolis fe-*

bris; & indicationis, usus & efficaciar vena sectionis.

III. V.S. directè respicit *quantitatis* sanguinis immi-
nutionem; proximè ab hoc scopo, *commotionum* sanguinis *sub-*
levationem, atque *derivationem* versus certa loca: indire-
ctè, & jam multò remotiùs, *qualitatis*, & *depuratorii* motus
sanguinis *promotionem*.

IV. Ex his certum est, quoad primam & immediatam
ejus efficaciam, quod *plethora* simpliciter & in se, corpori
non ita intoleranda aut periculosa sit, ut *urgente* quadam ne-
cessitate, immiutionem sui per V.S. exigat;

V. Sed potius, secundo hujus generis respectu, *commo-*
tionem sanguinis, non solum ad *evacuationem* in genere, sed
tanto magis in *specie*, i. e. ad certi generis & loci excretionem
tendant, & iisdem commode atque efficaciter, & vix aliter,
subleventur:

VI. Et quod hæ commotiones, ad hunc scopum ten-
dentes, non solum *spontaneis* successibus promptè *assuesciant*:
sed etiam *arte*, facile atque promptè, tam in genere in con-
suetudinem deducantur, quam in specie ad *certum* hujusmodi
finem & locum *evacuationis* invitentur & *convesciant*.

VII. Unde quidem multo promtior & familiarior est
assuescilio talis, si semel iterumque ventilatio talis *specialis* ad-
ministrata est; quàm ut evidens & insigne aliquod commo-
dum, ex nuda *generali* sanguinis immiutione obtineatur,
quod eximie sensu discerni possit, atque operæ pretium fa-
ciat.

VIII. Longissima verò demum serie *depurationi* sangui-
nis succurrit V.S., quatenus paulò *liberior* sive expeditior
ejus motus; *progressus*, *transitus*, *transcolatio*, *secretio*, & tan-
dem excretio heterogeneitatum, sperari aut concipi potest,
si *vera* & *eximia* ejus *abundantia*, & ab hac metuenda liberi
commeatus oppletiva difficultas, hac ratione minuatur.

IX. Valet autem hinc iterum illud, quod modò de hac
materia dictum, quod nempe *plethora simpliciter* his rebus
longè

longè minus, quam vulgò fingitur, detrimenti afferat; & proinde etiam illius imminutio per V. S. nihil magnifici emolumenti in ejus locum restituat.

X. E contrario probat observatio quotidianæ Praxeos, quod evacuatio per V. S., in corporibus illam plus minus admittentibus instituta, si præfertim debito *parcius* & insufficienter administretur, potius, ut vulgo vocant, *turgescentiam*, five commotionem sanguinis ad ultiores & auctiores exonerationes vehementiorem, invitet, imò satis sæpè mox post se trahat.

XI. Ratione febrium acutarum autem, & indolis illarum in genere, notum est, quod omnis talis febris verferetur in *secretione & excretionem* materialium, sanguinis & vitalium partium mixtioni, corruptionem aliquam minantium, idque proximâ potentiâ, aut ipso jam tenui initio & actu patrantium.

XII. In specie verò de febribus *secundum species* commemorasse decet, quod hæc *secretio & excretio*, pro diversitate *causarum* talium, diversa quoque sit; dum alia ad *colliquationem* sive *consumtionem* sanguinis in serum, & hinc exonerationem per *urinam & sudorem*, tendit; alia ad subtilium *halituosorum* miasmatum è sanguine secretionem, & jugem lenem excretionem, per *transpirationem* halituosam, vergit: alia per successivam expressionem materiæ talis *erysipelaceo apostematosis* ad *superficiem* corporis, per *exanthemata*, progredi necesse habet: alia magis ad *sinceram* exonerationem bonæ partis sanguinis, sed *criticam* tamen, pertinaciter inclinât: alia *vomitibus*, alia *catharticis* excussionibus intenta est &c.

XIII. Ex omnibus hisce diversis *febrilibus excretoriis* apparatus, habet quælibet species seorsim, non solum proprias suas circumstantias, molimina, successus, directiones; sed notandum est, ex omnibus plane *specialissimè*, de *hemorrhagica* excretionem, quod circumstantiæ illius molimen stipantes
non

non solum ab omnibus reliquis *diversa*, sed prorsus *aliena*, & istis *contraria*, existant.

XIV. Docent hoc ab antiquissimis temporibus observata & memoriæ commendata *signa imminentis criseos per hæmorrhagiam narium*: ubi *alvus* constipatur, *urina* retinetur, aut ad minimum quantitate plurimum *imminuitur*, qualitate vero simul *extenuatur*, diluitur, & tenuis atque pallida emittitur; *cutis* *desatur* ac stringitur, imò, quando præsertim importunior est commotionis conatus atque impetus, partes corporis inferiores fortius *constringuntur*, & *spastica* compressione cohibentur.

XV. Hæ circumstantiæ sufflaminant absolute *transpirationem, sudorem, exitum exanthematum, repellunt* eadem si illis superveniant, prohibent *secretionem* heterogeneitatum è sanguine; si quid ex illo *secretum* est, hæ supervenientes id cum illo iterum *confundunt*, dirigunt, comprimunt & restringunt materias hæcæ noxias, cum sanguine, *ad interiora*, imò ad *superiora*, caput, meninges, cerebrum, fauces: unde harum partium *inflammationes* erysipelatodes, malignè *ulcerosæ, prunellodes aphthodes: deliria, comata, lethargi, convulsiones*: in faucibus *prunella, aphthæ*: hæmorrhagiæ *nihil sublevantes, mors* septimo vel undecimo, aut inter hosce dies.

XVI. Si jam occurrat febris, quæ potius *exhalatione, sudore, exanthematibus*, ventilari, sublevari, solvi, possit atque debeat, quàm *sanguinis* excretionis us; si undecunque, *sponte*, per erroneam aliquam provocationem, aut *arte*, per intempestivam & præposteram manuductionem, *sanguines* potius *excretioni*, ejusque necessariis circumstantiis via sternatur, ratio certe ipsa dictat, quod tali molimine altera illa, debita, unica utilis & necessaria *secretio & excretio*, pessundet, & cohibeatur, adeoque febrî tali funestus effectus & eventus necessariò obtingat.

XVII. Hoc ut in thesi, sub hisce circumstantiis, extra, controversiam verè sese ita habet; ita considerandum est in hypo-

hypothesi, an hoc etiam ita evenire possit, imò *soleat*? ut videlicet natura, alteri scopo merito, imò necessario, intenta, ab illo facile sese avocari, & ad alieniorem talem conatum averti atque invitari patiatur?

XIIX. Hanc rem *theoreticè*, per argumenta, magis *à priori*, hinc exequi, non patitur instituti nostri ratio. Assèveramus autem *à posteriori*, ex observatione ipsa atque Praxi leviter saltem providè observata, quod omninò hæ res ita fieri quotidie observentur: ut videlicet *sanguinis ventilationem*, in tali febre, cui ipsa minus conveniens aut *commoda* erat, susceptam, insuper reliquo etiam decursu & successu morbi plurimum difficiliore existente, non aliter, quàm viâ veluti ostensâ, *versus & per dies criticos*, varia molimina febrilium *excretionum* sequantur, non *genio* morbi specialissimo æquè exquisitè respondentia, sed magis solum simpliciter *hemorrhagica*, per proximè memoratam viam atque *methodum*, ad sanguinis expressiones, vel tantùm *tendentia*, vel nullo usquam rato aut utili effectu ipsas etiam hæmorrhagias *perficientia*, sed sub debilitate, vel in horas increbrescente, ocyùs funestâ catastrophe desinentia.

XIX. Quantumlibet autem hæc verè ita sese habeant, non tamen sunt ita *perpetui* & veluti necessarij eventus, ut infallibiliter & inevitabiliter, apud omnes, cum eadem certitudine, cum pari undiquaque periculo atque lethali exitu sese exerant. Si autem de eo, quod *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ* fieri observamus, dicendum sit, sane neque hinc etiam veritati de erit testimonium, quod ut plurimum certè hæc ita contingant.

XX. Superest tamen alia adhuc reservatio, nempe quod hic eventus, in febribus ejusmodi ita tractatis, *si sibi relinquuntur*, communissimè, ac velut ordinariè ita quidem, uti dictum est, cedat: *artificiali* verò regimine atque methodo curandi, notabiliter, imò efficaciter, coërceri, & ex adverso *debita* illa, justa atque conveniens hæc febribus

B

Secer-

secernendi atque excernendi methodo, conservari atque restitui possit.

XXI. Est autem hæc *methodus*, post *adhibitam* in tali febre *V. S.* tam exquisitæ *necessitatis*, ut, si *dispar* adhibeatur, quæ nempe totum negotium decursus hujusmodi febrilis nudè *leniori* naturæ directioni atque prosecutioni permittatur; tunc solemniter nihil certiùs expectare licet, quàm modò nominatas, imò damnatas *sinisterioris* talis *excretionis* tentationes, in se inutiles, & utilibus absoluta impedimenta atque detrimenta objicientes atque afferentes.

XXII. *Methodus*, de qua loquimur, est totius morbi, non solum per directiones leniores, sed etiam propiores dispositiones, imò incitationes atque convenientes impulsus *ad sudandum*, tractatio atque prosecutio.

XXIII. Hac enim *jugiter*, moderatè servata, & per vices etiam, conveniente tolerabili *intensione* magis incitata, interpellatur atque præoccupatur contraria illa *restritio* & *congregatio humorum*, cum sanguine ad unam aliquam peculiarem corporis *regionem* aut *partem*: dum videlicet tam *regimen*, quàm ipse *stimulus* ad diaphoresin, potius *æqualem* sanguinis distributionem ad & per universam peripheriam corporis introducunt & post sese trahunt; quæ naturam in officio, præsentī constitutioni conveniente, retineat, nempe ad *circumferentiam* corporis æqualiter distributorio, & per *sudorem*, *transpirationem*, *exanthemata*, secretorio & excretorio motu.

XXIV. Hinc nimirum est, quòd hæc quidem *methodus*, inde ab antiquitate familiarior, interceperit atq; impedierit frequentiores difficiliore, aut lethales in hujusmodi morbis eventus, quantumcunque *V. S.* ipsis adhibita fuerit. Contrà verò adeò vexatam reddiderit hanc quæstionem, moderno nostro tempore, ubi per varias varietates methodorum atque medicationum, regiminum autem sudoriferorum, aut justī temporis illorum, neglectum, è contrario nudo-

nudorum *absorbentium* atque *diluentium* usum, *opiatorum* insuper intempestivas intercessiones, magis *spontaneo* decursui relicta Febris moderatrix Natura, in rebus ipsâ sui summâ dubiis, semper circa unam, quamvis justiore, methodum, anxia atque diffidens, imò intempestivo illo subsidio V. Sionis ad aliam viam quasi invitata atque seducta, vacillat, fluctuat, & anceps ac ambigua consilii firmi, neutrum rectè prosequitur: imò verò si *hemorrhagia* excretionem sibi pertinacius elegit, & ad executionem ipsam deduxit, illa quidem nihil fructuosum perficit, utilem vero alteram, imò necessariam, exonerationem *vaporosi contagii diaphoreticam, diapnoicam, exanthematicam*, non modò non prosequitur, sed necessariâ hæmorrhagico molimini *mechanicâ*, potius *evertit* atque *coërect*, uti notatum est in antedictis.

XXV. Pauca, & melioris, & æquioris intellectus gratiâ hîc monenda erunt. Cùm uti soleamus vocabulis: *directio hemorrhagica, directio sanguinis versus caput, propter scopum obtinendâ atque perpetranda eruptionis sive expressionis sanguinis &c.* & hæ loquendi formulæ offèdere possint eos, qui nihil hîc *directè* & *ordinatè* ad finem fieri concipiunt, sed *utiles* eventus, *fortuna* potius quidam tribuere malunt, & effectibus quibusdam *purè per accidens* obtingentibus: putarim, remedium difficultatum harum inveniri posse in eo, si solum ante omnia *de veritate facti*, ut loquuntur, inter nos conveniat, *an* utique v. g. circumstantiæ hæ, thes. 14. & 18. à nobis historicè adductæ, veritati respondeant, & experientiam testem habeant? & ante omnes quidem, illa *anti-praxia excretionis* etiam criticæ *hemorrhagicæ*, adversus necessarias circumstantias jugis liberæ *transpirationis, exhalationis, eruptionis* & conservationis *exanthematum*.

XXVI. Ita enim, si modò illa verè ita fieri æquè notum sit, atque certum est; *quomodocumque* de reliquo modus agendi atque fiendi sese habeant: simul consistere non

posse, sed unum alteri impedimento, imò contrarium futurum esse, quilibet facile agnosceret.

XXVII. Antequàm autem, tam ad *assertionem* Practicam, quam ad comparentia quædam *præjudicia* Practica in contrarium, accessum faciamus, è re nostra, imò totius hujus tractationis, futurum esse ducimus, ut specimen aliquod, imò cynosuram veluti aliquam, tanquam *inextinguibile* loco, hîc adponamus; quomodo in considerationibus talibus, & testimoniis conquirendis, versari conveniat: commendamus hinc pensitandam Celeb. *Tilingii* methodum, quæ usus est in hac ipsa quæstione tractanda; commendamus, inquam, non imitationi, sed pensitationi atque animadversioni.

XXVIII. Prosequitur peculiari capite, in *Tr. de febre petechiali*, hanc quæstionem: *utrum V. S. in dicta febre licita, utilis, necessaria*, judicari possit, aut debeat? Producit plurimos Autores affirmativæ sententiæ, *Doctores & Professores* Medicinæ, & suis & posteris temporibus haud exiguæ opinionis atque classicæ autoritatis; assert ipsorum non nudam assertionem, sed *rationes* etiam, quibus subnixi ita senserint: tandem his ipse quoque calculum suum adjicit ac subscribit: adeoque *concludit*, quod V. S. in febre petechiali non solum *usui esse* possit, sed etiam *necessaria* fieri queat, certis casibus.

XXIX. Cuilibet autem præjudiciis vacuo, & nervi argumentandi non prorsus imperito, statim in oculos incurrit, quod rationes ab istis Autoribus, pro stabilienda sua affirmativa, prolata, minimè omnium satisfaciant quæstioni; non enim de febre loquuntur, quid illi conducatur, tolerabile, imò necessarium sit: sed ferè unice frigidis quibusdam ratiociniis, quid *pletboræ*, nullo sufficiente respectu ad febris indolem, conveniat atque utile sit, ventilant atque tractant.

XXX:

XXX. Sicut autem manifesta est differentia inter nudæ & simplicis plethoræ indicationes, & febris, cum illa concurrētis, diversos respectus; quid, inquam, febrī potius, quam plethoræ conveniat: imò, quid tolerabile sit: ita nemo fortè tam facile solis hęc rationibus assensum plenum præbuerit, quæ ad unicum solum, & levius quidem quæstionis momentum, quantumcunque quadrant, minimè verò totum quæstionis pondus, & mutuum harum rerum respectum, exhauriunt, i. e. nervum quæstionis non attingunt.

XXXI. Interim illi, quos Autor adducit, negativæ sententiæ fautores, argumento utuntur immensum quantum magis stringente; provocant nimirum ad nudam Experimentiam, & quidem non ex auditu tantum aut relationibus, sed ex observationibus, & propria Clinica Praxi: præterea non paucis aut singularibus exemplis, sed numerosissimis profus, ipsis notam, & constantem deprehensam. Allierunt nempe, quod multi patientes, sine V. S. adhibita, commodè sanitati restituti sint: ex illis autem, qui V. S. admiserint, alibi è multis plerique pejus habuerint & difficilius sanati sint, non pauci etiam intermortui; alibi è paucis V. S. usis, vix quisquam evaserit.

XXXII. In hęc verò materia, nempe testimoniis Prædicis formandis atque dicendis, merito considerari debet, quantum valeat (1) propria experientia (2) è presentibus casibus sive exemplis desumpta; nempe quo præcipuè tempore morbus ipse grassatur, adeoque observationi subjacet, (3) institutâ insuper, à pluribus Medicis, in diversis locis observatione, sine ulla communicationis aut collusionis suspitione: quantum, inquam, hæc Methodus, testimonia Prædica proferendi, prævaleat nudis opinionibus & conceptibus de rebus ejusmodi, temerè, & sine sufficiente causarum pensitatione, formati, merito pensitari debet.

XXXIII. Enimvero, ut brevibus absolvamus negotium, frustraneæ sunt omnes ejusmodi argumentationes, velut à

priori formatae, & levibus rationibus, alii potius respectui, quam illi, de quo proprie est quaestio, respondentibus, colorata: si contra *constantem*, & quidem non fictitiam aut particularem, unius hominis, sed *plurium* Practicorum, *experientiam* atque *observationem*, producantur & valere debeant, quod sanè in nostro hoc negotio & praesente exemplo pulcherrimè sese fistit atque exierit.

XXXIV. In hoc enim commonstrat atque confirmat, ipsa *Experientia*, quòd non solum febres *acutae continuae*, ordinariè, & ex propria sua indole, spontè, sine aliquo *stimulo* peculiari, aut *individuali* tantum singulari dispositione, ad *evacuationes sanguineas* non tendant aut vergant; sed etiam tales, undecunque supervenientes, febrem minimè *praecipitent* aut *tollant*; imò nequidem *mitigent* aut *imminuant*: in *malignis* autem, sine multa materia *exanthematicis*, *petechialibus* & *pestilentibus* supervenientes haemorrhagiae, non modò nullum commodum afferunt, sed longè faciliùs, imò propemodum certius, *grave* aliquod incommodum atque *detrimentum*, quin ipsa mors, illas familiariùs sequatur.

XXXV. Inter illos, qui huic observationi animum adverterunt, si non primus, certè primarius, nominari meretur *Sydenham*. Hic de febribus illis plerisque, quas *epidemicè* grassantes solertiùs annotavit, deprehendit incommodum insigne, quòd in illis, quibus per initia morbi *vena seclata* fuerat, circa tempus, quo (ex ipsius mente & conceptu, *despumatione* fermentationis febrilis, nempe) vel per paroxysmos *critico* tempori confines, vel per solenniorem *crisis*, morbus imminui aut solvi debebat, *vires* ad hunc actum, ut ille interpretatur, *deficiant*, & propterea *Cardiacis* ipsi dictis, nempe *calidioribus alexipharmaco-diaphoreticis*, provocandae sint.

XXXVI. Quod autem de nudo atque simplicij *virium* defectu, Autor assertit atque scribit, & unde illum collegerit aut suspicatus hinc sit, fateor, me non habere, quod ipsi subscri-

scri-

feribam. Licet enim omnino ita sit, quòd patientes ver-
sus & circa tempus *septimi, noni, undecimi diei, viribus vita-*
libus magis fatiscere atque infirmari observentur; minoris
tamen faciendâ apparet hæc *debilitatio*, quàm aut justæ atque
debitæ *expulsionis exanthematicæ, defectus, aut inconstantia*: aut
cum imminutis excretionibus alvi, urinæ, transpirationis,
obnubilatio mentis, deliria, stridores dentium, & tremores
illi quasi masticatorii maxillarum, sub malè fido, semiclausis
oculis, somno, & jam anginæ, jam aphthæ symptomata,
rectis gressibus ad mortem, non tam procedentiâ, quam
festinantia.

XXXVII. Hæc ipsa autem ita *circa caput & in fauci-*
bus coorientia pathemata, non adedò *casu fortunâ* aut *casu*
aliquo contingere, vel planè *per accidens* enasci; sed potius
συσσυστα conspicuam habere cum *molimine* aliquo *hemorrhagico*,
videtur utique indigitare, ipse hujus rei, *hemorrhagia*,
inquam, erumpentis, non infrequens in hoc genere even-
tus. Ita enim ex iis, qui intra juventutis limites adhuc
comprehenduntur, non pauci in *febris petechizantibus*, et-
iam sine prægressis *vena sectionibus*, incidunt circa dies *criti-*
cos, in *hemorrhagiam*; *inutilem* non solùm & nihil sublevan-
tem, sed etiam sub *agrypnia, inquietudine, & levibus mentis mo-*
tionibus, intra paucas sæpe vigilias, aut unum vel alterum
diem, mortem pedissequam habentes. Ut igitur ne sic qui-
dem *hemorrhagia* aliquid aliud, quàm *incommoda atque pe-*
ricula, hîc post sese trahant.

XXXVIII. Tantò ferociùs autem cooriri solent hæc
symptomata in longe plurimis illorum, (*D. D. Præses* ex sua
observatione asserit, *in omnibus*) quicumque hujusmodi *ma-*
lignis affecti, & *vena sectione* per initia ventilati, posthac *tran-*
spirationi liberiori atque uberiori non debitè operam navant,
sive *regiminis*, sive totius *methodi atque medicationis*, sive
conspirante utriusque, vitio.

XXXIX,

XXXIX. Quod enim in talibus antè jam tacta, non solum quæcunque *fortuita* syndrome symptomatum illorum circa caput, subit, confirmant tantò magis circumstantiæ illæ in tali casu solenniter evenientes, eadem scilicet, quæ aliàs *hemorrhagiæ critica* molimina non magis stipare, quàm, si rem rectè æstimamus, *constituere atque formare* solent: nempe suprà commemoratæ illæ, omnium quidem *reliquarum excretionum restrictiones*, manifestiores autem *versus atque circa caput* earundem congestiones.

XL. Quemadmodum autem hætenus ita magis *in genere* de febribus *acutis* atque *malignis* locuti sumus; ita notari meretur in specie de *variolis*, & *morbillis*, magis tamen de *illis*, quòd & *hemorrhagias* spontè sæpiùs forment, & sic satis benè ferant: & in constitutionibus *regionum, tempestatum, & individuorum, calidioribus*, etiam *artificiales* sanguinis ventilationes, non magis *tolerare*, quam aliquando *postulare* videantur. Interim quicquid horum sit, *directæ* morbi indoli, & morbo huic *in se* & *absolutè*, *sibi relicto*, quàm *tali*, neque ordinariæ aut propriæ sunt, nec directè convenientes aut debitæ.

XLI. Sicut enim horum quidem *exanthematum successus atque decursus* per notissimam experientiam ita *dispar* est, ut aliis quidem subiectis vix mediocriter molesta sint, nedum periculosa, difficilia, anxia, ancipitia; & hæc dispar illorum indoles, evidenter non directè ab horum exanthematum genio, sed ab *individuum patientium constitutione* plurimùm dependet: è quibus adultiore, magis plethorici, sanguinei, choleric, suos hîc patiuntur manes: ita quid proprie respectu *subiecti* potiùs, quàm respectu *sui ipsius* toleret affectus, meritò est distinguendum.

XLII. Quòd verò ejusmodi affectus, quales sunt *variola* & *morbilli*, sanguinis missiones faciliùs ferant, imò *hemorrhagias* aliquando spontè affectent, *sine noxa*, tribuere licet & *copiosiori, & crassiori*, horum affectuum *materia*, à cujus excretionè, magis directò intenta atque sibi propo-
sita,

fita, natura minus promptè ad nudam aliquam ventilationem sanguinis, neglectâ reliquæ copiosioris expulsionis cura, dimovetur. Quandoquidem, sicubi à *justo tramite expulsionis* exanthematicæ deflectit, longè magis vergit ad *crassiorum exonerationem per diarrhæas*. Interim tamen non desunt, imo vero non rara sunt illa etiam exempla, ubi hujusmodi patientibus pariter sub *vigiliis, capitis perturbatione, mentis motione, dentium stridore, & insufficiente ad minimum eruptionis successu, pallido, frigidulo, corporis ambitu, exiguis, depressis*, imo subsidentibus, pustulis, prægressâ etiam atque intercurrente, quantumvis *largâ hæmorrhagia*, mors supervenit.

XLIII. Quam perplexos in hunc usque diem, sed à longo utique tempore, habeat & habuerit Medicos quæstio illa: *An in febribus inflammatoriis V. S. necessaria sit?* imò *utilis solum?* quin denique *tolerabilis* atque *innoxia?* potest perspicere è variis Medicorum super hac materia analectis, & non magis decisionibus, quàm familiaribus ferè opinionum atque autoritarum relationibus atque festationibus: penultimoque jam seculo proprium de hac materia tractatum scripsit *Panizza*, ubi etiam, figurâ sculptili adjectâ, causæ suæ Patronos, & qualiscunque suæ conciliationis fautores, tanquam in solenni synodo *συνετηρίστους*, ob oculos sistit. At verò qui ex omnibus ejusmodi thesibus, multiplici hypothese seu *conditionibus* variis restringendis, aliquid solidi ad *Praxin* transferre, & promissos bonos *effectus* potius, quàm *eventus*, ibi deprehendere atque experiri voluerit, ille, necesse est, ut ferio polleat *requisito* illo eximio *Practico*, quod omnino *Medici* ipsi quoque postulant & supponunt, quando formulam illam, à *posteriori* subinde admodum *ambiguam*, proponunt, consilium tale & dextram ejus executionem, *judicio Medici Practici* committendum esse.

XLIV. In *Vulnerariis* febribus *necessitatem* etiam, non *utilitatem* solam V. S. nis agnoscunt & adstruunt communiter

C

Chi-

Chirurgi; quos autoritate sua ita suffulcit Vir quidam celebrissimus, ut etiam sine conscientie periclitatione illam in tali casu negligi non posse, arbitretur. Interim cum etiam ipsæ *Vulneraria* febres, non solum variis vulnerum circumstantiis, sed vario quoque & valde differente schemate, superveniant, plus hinc poterit observatio *experientia* Practicæ, quam nudæ sententiæ.

XLV. Sanè verò curantur, percurantur, inquam, & sanitati restituuntur etiam *vulnerati febricitantes*, V. S. non adhibitâ, neque adeò facile propter varias & fonticas sæpe rationes impediendas, adhibendâ: ut hinc *necessitas* V. S. ad hujusmodi affectus jam maximâ difficultate implicetur. Interim si non febris *vulneraria simpliciter*, sed adhuc cum evidente *plethora* (per *hemorrhagias*, nimis citò & violenter prohibitas, non condignè ventilata) connexæ, aut largissimæ collectioni atque stasi inflammatoriæ circa partem vulneratam, (imprimis per minùs convenientia remedia introductæ) consulendum sit, potest usum habere non pœnitendum: de vera interim & *exquisita necessitate*, vel in tali quoque casu adhuc dispicere, necessarium fuerit. Certè *vulnerarias* febres & varias, & numero non ita paucas, etiam *sine V. S.* non solum feliciter, sed etiam maturè atque tempestivè superatas esse, *D. D. Praeses*, expertum se esse, asseverat.

XLVI. Unica est febris *Continens* sive *synochus*, quæ veluti magis *directè* postulare videtur hoc genus remedii. Unde etiam vix quisquam est Practicorum, quin illam in hoc casu urgeat magis quam suadeat: imò propter hanc necessitatem, *terminum* adornandæ hujus ventilationis, in hac, inquam, febre, ad *amplum spatium* communiter extendunt; nempe sine respectu ad dies *indicatorios*, quamdiu, etiam ultra horum limites, *urina* maneat *cruda*, *visida*, *tenuior*.

XLVII. Duæ vero occurrunt animadversiones Practicæ, quas h. l. adjiciendas, & in hoc negotio pensitatione dignas, arbitramur. Prima est illa, quam *Exc. D. Praeses* alibi, ex sua

ex-

experientia, produxit, quod *vera* atque *simplices febres continentes*, reverà sint *rare*: secundò, quòd longè plurimum, dispar sit ille respectus, quando *typus, continenti proximus*, cum alia *continua* indole coalescit atque complicatur; quòd veteres *synochum puridam* appellare, & merito sanè suo, à *synocho simplici* curiosè distinguere, consueverunt.

XLVIII. Nimirum experientia ipsa illos jamjam docuit, quòd febrì, quæ talem indolem jam nacta sit, V. S. immensum quantum *minùs* solatii afferat, quam verè *simplici*; utpote qualem non rarò *nuda V. S. ne (tempestiva atque sufficiente)* tolli possè, experti sunt. Unde in hujusmodi *composito*, imò *perplexo*, casu, tanto meliore circumspèctione opus est, quanto frequentius ille præ altero *simplici* evenire atque occurrere solet.

XLIX. Totum certè hoc negotium, longè planius nobis atque dilucidius esse possèt, si è tot difformibus opinionibus *de febrium indole per diversas species*, vel ipsa *historià*, tantò magis autem quacunque consideratu dignà ætiologià, adumbratum, nedum declaratum esset, *quòd fiat, quòd ex eadem specie febris*, alia *individua* longè *gravius atque diutius astuant*, quam alia? &, quòd *directum atque perpetuum* est hujus incommodi consequens: cur pariter illi, qui præ aliis ita *insolentius astuant*, *difficilius ad debitos salubres secretiones atque excretiones febriles* perveniant?

L. Frustra profectò nobis hìc occinuntur nœniæ illæ, de *nimia quantitate*, de *nimia qualitate seu malignitate*, materiæ, in uno subjecto præ altero. Tantò magis, cum vulgò etiam ipsas *secretiones atque excretiones*, non utili alicui motui atque *directioni naturæ*, sed ipsi *irritationi atque stimulo*, imò *pulsioni*, materiæ *activa*, adscribere, jam mos invaluerit: ubi quidem exempla *vomitionum, diarrhoearum, sudationum, symptomaticarum, colliquativarum* &c. huic hypothèsi applicare sic fatis commode liceret, nisi adeò *rarò* in tantà horum morborum frequentia, & sinifris insuper illorum eventibus, occurrens ha-

rum circumstantiarum accessio, universalitati talis argumentationis nimis parùm faveret.

LI. Contrà, longè faciliùs concipi atque percipi posse hoc negotium videtur, si potiùs consideretur *effectus* ille, qui motus febriles (*sanguinis*, inquam, fortem *propulsionem*, & motum *intestinum*, inde consequentem, longè auctiorem) necessariò insequitur, multò *copiosior* nempe *sanguinis resolutio* inferum, & consequenter *excedentis quantitatis sanguinis imminutio*: modò rectè, legitimè & *ordinatè* omnia peragantur.

LII. Sicut enim *abundantia* sanguinis prima illa est *materialis* dispositio, quæ homines *acutis febribus* magis *directè* obnoxios reddit; & febres *continuae, simplices, & inflammatoriae*, ad *continentis* febris typum quàm plurimùm accedentes, æquè atque ipsa febris *continens*, (quæ proinde antiquioribus velut eminenter *Sanguineæ* titulum promereri visâ est) talem *plethoricam* constitutionem quàm maximè sequi solet: ita in qualibet etiam *specialiore* causâ, *specificâ* alicujus febris, si ibi hæc *eminens abundantia* sanguinis concurrat, infruitur magis tota febrilis *motus series* ad simpliciorum illum *sanguineæ febris* typum, quàm *specialiorem*, imò *specialissimum* cujuscunque peculiaris, vel planè *malignæ* febris, genium.

LIII. *Sanguineæ* verò febres, utpote copiosiori *resolutioni*, & tunc demum excretioni (ita resoluti) sanguinis, adaptatæ, quàm alienæ sint communiter à tempestivis, ut veteres appellabant, *colitionibus*; tempestivis nempe *secretionibus* atque *emissionibus*, tota loquitur antiquitas: quæ in febribus tam simpliciter *synochis*, quàm *synochis puridiis*, plurimum accusat defectum, aut ad minimum *moram* sufficientis *tempestivæ colitionis*: & è contra contumaciam *cruditatis rutilæ & flammæ urinæ*; sub quibus circumstantiis vel nullas, vel non nisi *hemorrhagicas crises*, & illas ipsas adhuc *laboriosas* atque *incertas*, agitari, *Experientiâ* didicit.

LIV. Ex quibus omnibus ac singulis, rectè pensatis, facile poterit dilucescere, quòd status *plethoricus* (ut thes. IX.

mo-

monuimus] *simpliciter* & *per se* quidem, febrī nullum periculum inferat, velut à priori; sed unicè demum à posteriori, quatenus natura ad certam potius febris speciem incitata, quam certis, præcipuè periphericis, secretionibus & excretionibus procurare atque præstare deberet, intempestivè plethoræ consumende, febriles quosdam motus adaptat: & quidem tales, qui reliquis specialioribus (certæ speciei febrilis materiæ convenientibus) insigne præjudicium adferant, eosque ita intervertant, ut vel planè non fieri possint, vel certè non ita tempestivè, uti periculose efficacis, materiæ istius speciei febrilis, debebatur.

LV. Magis arduum verò nobis erit, experientiâ destitutis argumentatoribus, an argutoribus? (Gallicè *raisonneurs*) satis demonstrare, quod Thef. 17. 18. seqq. tactum fuit, nempe quòd per V. S. Medicus naturam, præsertim jam suà quasi spontè ad hanc intempestivam expressionem sanguinis, aut consumptionem ejusdem, propensam, eo magis ad hunc scopum inclinare, eique occasionem præbere possit, ut contumaciùs hoc ipsum audeat atque prosequatur.

LVI. Ut autem brevibus totam rem eloquamur; Cùm plethoræ (in primis autem exquisita & veluti enormis) huic intentioni sanguinem potius consumendi, aut per hæmorrhagias exonerandi, quam simpliciter aliquid è sanguine secernendi atque excernendi, occasionem præbeat Naturæ; imò ipsa potius hæc intentio, sanguinem ita sive exonerandi, sive consumendi, etiam à posteriori atque instrumentaliter, aliis febrilibus depurationibus adverfetur, (dum cohibet potius istas partes, quibus depurationes fieri deberent) commodissimum certè hîc esset, nudâ evacuatione plethoræ materiam istam subtrahere, propter quam Natura ita errare, sive motus ita alienos à genio febris alterius speciei suscipere potest atque solet. At verò, cum tali remedio non ita promptè atque directè Natura ab ista sua intentione atque conatibus revocetur; sed potius illis tantò magis obnoxia reddatur, & velut ad hoc genus conaminum incitetur, imò manuducatur: quis dubitat, quin periculoso consilio sua-

deatur aut fuscipiatur, quicquid tale quiddam præstare potest?

LVII. Arduum, inquam, est, hoc aliter, quam ab experientia, persuadere, velut à priori, nudæ magis *rationationi* insistentibus; Interim confirmat Experientia: cum etiam notum sit, quòd hominibus *pletoricis*, de reliquo etiam tolerabiliter sanis, aut leviori motitatione spastica per corporis exteriores partes affectis, *exiguam sanguinis ventilationem* adhibere, subinde tantundem sit, atque *acutam* aliquam & *astusam* febrem invitare. Nec etiam abludit ratio; quòd videlicet Natura, si non *egrè* prorsus, ad minimum *molestè*, ferens illud incommodum abundantis sanguinis (& pondere majore, & oppletionem motus debitos prægravantis) per qualemcunque institutam *imminutionem*, sive *manuducatur* quasi ad profequendum *exonerationis* hujusmodi negotium; sive quadantenus ita jam imminutam abundantiam tantò faciliùs penitus superare confidat, adeoque tanto expeditiùs huic consilio sese applicet.

LVIII. Sanè verò nunquam, sive *solidam historiam*, sive *ætiologiam* atque *pathologiam* febrium, meliore, quàm hæcenus fuit, loco habebimus, nisi *duo* illa *fundamenta* totius *historiæ* morborum denique firmata habuerimus: *primò*, quid utique fiat, tam secundum omnes circumstantias sensibiles, quàm præcipuè secundum illarum, non solum *ordinis*, verùm etiam *efficaciæ* atque *dependentiæ* reliquæ rationes, *primarias*: *secundo*, quànò, imò quàm *nimio*, *magis* natura (i. e. tota *oeconomiæ* motuum, ad salutarem effectum non solo eventu, sed etiam *juxta proportionem*, *idoneorum*) ad *excretionem* inclinet, adeoque etiam concitetur, quàm sive sponte *toleret*, sive *vegetiores* excretiones, earumque *incitamenta* lenioribus atque placidioribus posthabeat.

LIX. Primaria itaque, atque *præcipua difficultas*, quæ per V. S. febribus conciliatur, juxta nostram *observationem*, magis quàm opinionem, est hæc ipsa, quod Natura per hoc reme-

medii genus provocetur ad sanguinis, in primis *plethore*, five *relolutoriam consumptionem* decursu seu typo toto morbi; five *exonerationem sinceram criticis* diebus sibi proponendam; quo ipso verò utrolibet, excretionibus *diapnoicis*, in primis *continuis*, directè obsistitur: longè minus verò atque rariùs ita ipsi satisfiat, eaque *placetur*, ut directè atque suà sponte, veluti onere illo planè *sublevata*, postea reliquis *specialissimè convenientibus excretionibus* justo successu vacet, atque unice incumbat.

LX. Concurrunt *duo* insignia incommoda totum malum augmenta; primò, major difficultas exequendi *specialissimas* illas febriles evacuationes; dum videlicet *perniciosum* est malum, atque ingens, quod imminet, periculum; tractatio verò, five methodus excernendi, tali *speciei unice*, conveniens, non nisi *placida* atque *continè equalis* adhiberi potest: sub his omnibus verò circumstantiis reverà adhuc plus minus *incertum* est, si vel maximè agatur, quicquid & potest, & debet, an propterea, five *quantitas* excedens, five *qualitas* insolens, *maligne* illius materiæ, *cerro* superari, & de tali infallibili, *justissimarum* etiam suarum operationum eventu, Natura sibi fidere, & secunda esse possit?

LXI. Nimiò certè frequentius deprehenditur hoc, ipsius experientie ductu, ut in rebus ita *dubiis*, & de bono eventu etiam inter diligentissimos labores *incertis*, potius *anxia, trepida*, intentionibus atque actionibus *fluctuans* atque *tutubans*, observetur Natura, quàm ut hisce rebus, secundum *nudam mechanicam* rationem atque proportionem, rectè atque ordine satisfaciatur.

LXII. Simul tamen, quod apprimè notandum est, non ita *temere* in quoscunque potius nudè atque *purè erroneos* motus, quàm tales, qui utique *fini alicui generaliori* quadrant, proni aut præceps est Natura, ut jam hoc, jam aliud, imo, nescio quæ *diversissima*, tentet, aut in illa evagetur: sed servat etiam hinc utique certos tales atque statos mores, ut licet, quàm

quàm maximè *unam* illam debitam methodum non exequatur; tamen ad *certas* quasdam alias deflectat; quæ, licet præfenti *speciei* non respondeant, tamen à *toto genere* febrilium, motuum atque moliminum excretoriorum, non ita deflectunt, quin quadrent, non solùm *generalissimè*, alicui alteri speciei sive *indoli febrili*: sed magis *ordinè* quodam *generico simpliciori* genericæ cuidam indoli, quam *specialissimis* speciebus exquisitissime determinatarum quarundam februm. Certè enim hoc intuitu *plethora*, & *intensior æstus* (nempe fortior & diuturnior motus *colliquatorius* sanguinis) *generalior* quædam causa, & *superior* quædam inter *subalternas*, est februm species: nihil itaque ab *ordine* atque genio *causalitatis* alienum est, si impeditâ, adeoque quasi reformidatâ, *specialissima* prosecutione, *certa* cujusdam febris, occupata maneat Natura circa illud, quod & paulo magis generale; & *factu* quoque (modo nihil aliud gravius interim succresceret) *facilius* esse posslet.

LXIII. Juvat autem eò magis, quod secundum, est, incommo-
 rorum, Thes. LX. designatorum, hanc naturæ inclinationem ad hoc *generalius* excretionis genus, (nempe, per *hemorrhagiam*) consveta illa nostratibus *exigua missionis* quantitas; qua non solùm ad summam rei nihil, quod *sufficiat*, obtineri, jam pridem alii, & in specie *Roder. à Castro de morb. mul. part. II. lib. 2. c. 21*, annotarunt: & monstrat hoc propemodum quotidiana experientia; sicut & certior ejus effectus idem confirmat, dum videlicet *copiosiores* sanguinis missiones certiore efficaciam hic exhibent, quod post *Borallum*, tota & propemodum unica *Praxis Gallica* testatum facit: siquidem sub illis non modo *frequentibus*, sed etiam *largis*, sanguinis evacuationibus nihilominus numerosissimi patientes, & certius, & ferè felicius, aut sane tolerabilius, mortem effugiunt, quàm apud nos: ubi qui venam secuerunt, si aliâ, quàm *sic satis fortiter sudorificâ* methodo tractentur, aut longè *pejus* sese habent, quàm illi, quibus vena secta non fuit: aut planè *moriuntur*; & vix quidem unquam aliter, quàm cum illis *symptomatibus circa caput*.

LXIV. Quid vero in *malignis* possit hæc methodus, fa-
teor, non æquè ausim alieno periculo experiri. *Sydenhamii*
nota est bona spes de *V. S. Galenica*, nempe ad *lipothymiam* us-
que, in *pestilentibus* febribus. (Ubi quidem *levioris momenti* es-
set vulgata illa exceptio: non posse definiri quantitatem huic
proposito satisfaciendam, quoniam multa dentur subiecta, quæ
per *hæmophobiam* etiam sub ipsa initia sanguinis fluentis mox
animo linquantur; cùm ad minimum ratio dicat, quòd san-
guinis missio, quæ citra *hæmophobiam*, *lipothymiam* inducat, *be-
ne larga quantitate* instituenda sit, adeoque hoc etiam apud *hæ-
mophobum lipothymicum* ita servari deberet:) sed meretur etiam
animadverti, quod ipse *Sydenham* magis rationi, imo opinio-
ni suæ, ibi indulgeat, quàm *experientiâ* nitatur: in quibus ta-
men rebus lubentes confitemur, nos *ancipitem experientiam*,
ne quidem facillè sequi, nedum spontè instituere, audere.

LXV. Ambiguum autem hîc, nisi quid pejus, fore ex-
perientiam, varia persuadent. Remedium enim *infallibile*,
hanc *V. S. in peste* præbere, nemo hæcenus sustinuit dicere;
Cùm verò hoc non præstet, tanto minùs illam salutariter tole-
rabunt (1) plane non assueti (2) debiliores viribus (3) teneriores
corpore (4) principium jam prætergressi; circa quam ulti-
mam distinctionem tantopere laborant illi, qui sub qualicun-
que Præceos attentione atque experientia de *V. S. in pestilentibus*
affirmativam tueri, conati sunt. At verò, sub hujusmo-
di circumstantiis, temerè aliquid tentare, quod in primis
nullam reliquam *singularis* efficacis spem faciat, nos quidem
nemini consuluerimus.

LXVI. Sicut igitur *V. S.* in hujusmodi febribus per
dicta non solum nullus *eximius*, & in quo aliquid *fiducis* col-
locare liceat, est usus; sed etiam *heteroclitici successus* ac *eventus*
specialior metus: ita consentiunt interim omnes, quantum-
cunque etiam *V. S. in febribus acutis* faventes, quòd illa in-
stitui debeat *sub initium*, non autem provectiore jam tempo-
re; Unde è classicis (præter *Botallum* fortè) vix quisquam.

D

V. S.

V. S. post *tertium*, vel ad summum *quartum*, diem (excepta *continente* febre) scilicet *apparentibus jam signis colitionis*, suadet.

LXVII. Quando enim, antiquo loquendi more, *colitio*, jamjam procedit, nempe *secretionis* atque *secessionis* quarundam heterogeneousitarum è sanguine, bonus successus jam apparet; tunc maluerunt (& rectissimè sanè) *secessiones* potiùs aliarum rerum è sanguine præstolari, quàm *sinceri* sanguinis quantitatem *leviter* delibare: nempe per experientiam edocti, quòd facillè fiat, ut hac ratione natura à justiore illa methodo sanguinem *depurandi*, per errorem denuò inclinet ad alteram illam, ipsum sanguinem *expellendi*, cum valde ambiguo eventu: quoniam ipse apparatus ad hanc potiore intentionem, alteri magis convenienti scopo, etiam per *mechanicas rationes*, obsistit, ut ex supra dictis liquet.

LXVIII. Quod verò *Borallus*, non solum *proveciore* jam febre, & *crisis* jam propinquiore, V. S. bono cum successu instituerit; neque hoc solum, sed præterea *in ipso* maximè *paroxysmi aestu* quasi *medio* (imò fortè jam *plus, quam medio*) illud ut vix quisquam fortassis ita promptè imitari susceperit, ita profectò autores illi esse mus, ut si *unum* horum experiri in animum inducat, *alterum* omninò simul sequatur: ob rationes, quas brevitatis, quam nobis, quantum fieri potest, observandam proposuimus, deducere non sinit.

LXIX. Aliquos autem recentiorum, in primis in *Variolis*, plurimum *plethorico* corpore, sanguinis aliquam ventilationem ita fructuosam deprehendisse, ut etiam postliminio *aestu* vehemens, summæ *angustie*, virium oppressiones &c. mitescere, e contra verò *eruptio* promptè atque affatim succedere, observata sint; illud quidem in terminis *habilibus*, nempe sub *statu plethorico* verè *urgente*, & ejusmodi gravioribus symptomatibus concurrentibus, ita usui esse posse, minimè in dubium vocamus. Interim hujusmodi casus mox in *regulam* vertere, & quibuscunque *variolas* parturientibus V. S. commendare, imò *injungere* velle, non nisi
Gal-

Gallicæ temeritatis, Germanæ vero ad imitandum levitatis, esse arbitramur. Unde vix audiuntur à cordatis hominibus, qui & infantibus variolas foventibus aliquid sanguinis mittendum esse, contendunt, quod observatum sit, illos bono successu variolarum inde gaudere: cum tot mille exemplis similis optimi sine V. S. spontanei, in infantibus (in primis rusticis & plebejis) successus debile valdè reddant conclusum, quod illi infantes, quibus sanguis missus est, propterea maximè ita tolerabiliter variolis defungantur.

LXX. His itaque omnibus ita pensatis, spontè suâ consequi nobis videntur sequentes *Conclusiones*: I. V. S. in febribus acutis, exceptâ (non tamen absolutè) *Continente*, nunquam est necessaria; nisi in casu gravissimè plethoræ, præcipuè recenter commotæ, adeoque circumstantiâ penitus individuali. II. V. S. in febribus acutis longè frequentissimè, imò communissimè, sit noxia; nisi & quantitate proportio natâ instituat, & reliquæ methodi convenientis, nempe diaphoreticæ, subsidio atque subordinatione excipiatur. III. *Modus*, quo noxium effectum inducit, sunt exundationes illæ circa criticos, ad caput; quæ, quia restrictione reliquæ corporis, interni æquè atque externi, compressoriâ, perpetrantur, & secretiones colatorias, & excretiones diuretico-diaphoreticæ & exanthematicas supprimunt: unde pessimè exit putrida veterum (i. e. qualitatem potius sanguinis fatiscentem sub sese complectens, quàm quantitatem) quælibet febris. IV. In primis autem signa collitionis, i. e. jam incipientis, imò succedentis, talismodi depurationis, respicienda sunt; quoniam inde, tanto magis & veluti proximè, collitio hæc, (sive secretio) inturbatur, excretio vero tandem repellitur. V. Uti vero ubique in Medicina, ita hic sanè non minùs, valde circumspectâ opus est *dijudicatione*, quoties, quàm constanter, quàm perpetuis iisdem circumstantiis, bonus & successus & exitus V. S. in acutis sequatur; antequam regula aliqua & pura thesis ex ejusmodi historiis formetur.

LXXI. Ut autem hæc omnia rectè pensitari atque peragi debite possint, necessaria utique erit bona *diagnosis, historia*, inquam, atque cognitio accurata *specierum & indolis februm*: quam quidem utrum magis sistant *recentiores* de febribus scriptores, quàm *antiquorum* solertissimorum labor, propria *circumspecta* Praxis commonstrare cuivis poterit.

Sanè, vero & experientia & ratione opus erit ad illa, quæ ab antiquis in hodiernum usque diem adhuc prætervifa sunt, supplenda.

F I N I S.



Uc 787

ULB Halle

3

002 169 568




SB.

Uc 787

Uc 787







B.I.G.

Farbkarte #13

9. D. B. VI
DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA INAUGURALIS
DE

VENÆ SECTIO. NE IN FEBRIBUS ACUTIS,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGENSIS HÆREDE, &c. &c.

JUSSU GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

In Alma Fridericiana,

PRÆSIDE

DN. GEORG. ERNESTO STAHLIO,
MED. D. ET PROF. PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR.
COLL. FACULT. MED. h.t. DECANO GRAVISSIMO,
UBIQUE CELEBERRIMO,

DN. PATRONO ac PROMOTORE SUO ÆTATEM DEVENERANDO

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia
Doctoralia ritè capessendi

D. Maji MDCCLIII. Horis ante- & pomeridianis,
IN AUDITORIO MAIORI

Publico Eruditorum examini exponet

JOH. WOLFGANGUS LOGES, Netling. Hildesf.
Præticus Peinensis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Typis Christiani Henckelii Acad. Typogr.